

azimorum fuit a vespera incipiens. Sed Matheus evangelista quinta¹ sabbati dicit fuisse primum² diem azimorum; quia eius vespera consequente³ futura erat caena paschalis, qua coena incipiebat azimum et ovis immolatio manducari. Ex quo colligitur, quartam sabbati fuisse, quando ait Dominus: Scitis quia post biduum pascha fiet et filius hominis tradetur ut crucifigatur. Ac per hoc dies ipse ieiunio deputatus est, quia sicut evangelista sequitur et dicit: Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et consilium fecerunt ut Iesum dolo tenerent et occiderent. Intermissio autem uno die de quo dicit evangelium: Prima autem azimorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha? hoc ergo die intermisso, passus est⁴, quod nullus ambigit, sexta sabbati; quapropter et ipsa sexta recte ieiunio deputatur⁵. Huc usque Augustini. De eisdem⁶ feriis ita refert tripertita historia⁷: 'In Alexandria quarta et sexta feria scripture leguntur, easque doctores interpretantur et omnia fiunt preter sollemnem oblationis morem'. De sabbato ita scriptum est in libro episcopali⁸ de Innocentio papa: 'Hic constituit sabbato ieiunium celebrare, quia sabbato Dominus in sepulchro⁹ positus est et discipuli ieiunaverunt'. Unde et ipse refert in decretalibus¹⁰: 'Sabbatum vero esse ieiunandum¹¹, ratio evidentissima demonstrat' et reliqua quae secuntur. Et paulo post: 'Nam utique constat, apostolos biduo isto, id est sexta feria et septima in tristicia et in merore fuisse et propter metum Iudeorum se occuluisse. Quod utique non dubium in tantum eos ieiunasse biduum memoratur, ut traditio ecclesie habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari, quae forma utique per singulas tenenda est ebdomadas' et cetera. Ubi datur intellegi, non missam eos celebrasse in supra dictis diebus per annum, sicut nos hodie non celebramus in parasceve et in sabbato sancto. Quod aperte demonstrat tripertita historia in libro nono¹². 'Nam dum', inquit, 'per ecclesias in universo¹³ terrarum orbe constitutas, die sabbatorum per singulas ebdomadas sacrificia celebrantur¹⁴, hoc in Alexandria, et in Roma, quadam¹⁵ prisca traditione non faciebant'. Et in eodem sequitur: 'Rome sabbata universa ieiunant'. Cum superius scriptum sit, quod tres ebdomades ieiunarent ante pascha preter dominicam et sabbatum, vere possumus intellegere, quod primo non ieiunabant et postea constitutum fuit

1) 'quintam' August.

2) 'primam' August.

3) 'sequente' August.

4) 'dominus' Augustin.

5) 'eiusdem' Hs.

6) L. IX. c. 38. Cass.

ed. Gare. I, 323.

7) Anastas. Biblioth. XLII. Migne P. l. 128. 147.

8) 'sepulchro' Hs.

9) Ep. ad Decentium ep. Eugubinum, Migne XX, 551.

10) Verbessert aus 'ieiunando'.

11) Ed. Gare. I, 523.

12) Ver-

bessert aus 'uno versu'.

13) 'celebrarentur' Hs.

14) 'quedam' Hs.